

VALENTINVS VANNIVS ABBAS ET PATER MAVL-  
brunnensis.



**V**alentinus ille in Sueuía natus à pueris ope-  
ram literis dedit, & artium ac linguarum fun-  
damenta foeliciter percepit. Cum autem is huius  
seculi pompam fastidiret, & sacris libris incumbe-  
re statueret, monasterium Maulbrunnense acces-  
sit, & Cisterciensium ordinem assumpsit. Funda-  
tum erat cœnobium illud in comitatu olim Vuir-  
tenbergensi, anno reparatæ salutis humanæ mille-  
simo centesimo tricesimo octauo, penè medio iti-  
nere inter Pfortzheimium Marchionum Baden-  
sium, & Brettam Palatinorum oppida, in maximè  
fertili solo, iuxta insignem fontem ( à quo etiam  
denominatum est) à Gunthero comite Lyngensi,

Episcopo tum Spirensi, & Vualthero barone de Lamersheim, qui etiam sub  
Diethero primo abbate seculum reliquit, & habitum monasticum assumpsit.  
In eo loco cum Valentinus degeret, Lutherus monachorum uitam repre-  
hendit, atque eiusmodi uota uerbo Dei repugnare asseruit. Id cum ipse in-  
tellexisset, Lutheri scripta diligenter legít, atque ijs approbatis suum ordi-  
nem reliquit.